

legatum significaret. Venerius statim Senatum de Echembergii adventu, deque petito colloquio certior facit. Patres Senatus consulto respondent: ad colloquium Echembergium admittat, quænam illius mens sit, an cum Cæsare a Superantio pacta exequi velit, solerter inquirat; neque interea ab Uscochorum damnis, uti iussus antea fuerat, absteineat; de iis, quæ indies acciderint, Senatum faciat certior. Venerius itaque Echembergium se libenter auditurum affirmat. Senatus legato rescribit, si ea voluntate Echembergium Cæsarisque ministros esse animadvertat, ut non verbis at re ipsa præstare pollicita velint, aliquantulum mollius agat; minime intermissa obsidione, a militibus exponendis absteineat. Sed antequam Senatus decretum ad Venerium pervenisset, Antonius Civranus, sinus Adriatici præfectus, vir impiger, omnem illum litoris tractum, qui ab Volosca ad Labranam protenditur, incendit ac diripuit, frumento, vino, aliisque com meatibus, qui ad Sennienfes fame levandos coacti fuerant, corruptis. Ea re ad Cæsarem delata, ingentes querelæ in Rempublicam jaciebantur, dum de concordia ineunda ageretur, direpta oppida, villas incensas hostium more a Venetis fuisse. At Hieronymus Superantius, legatus, factum egregie tuebatur: nondum ad sinus præfectum Senatus mandata perlata; ab iis, quæ antea sibi injuncta fuerant, minime recedendum existimasse; nec, postquam Echembergius Senniam venisset, fidem ulla in re Cæsari Senatum obstrinxisse. Echembergius vero, paucis quibusdam, iisque nullius inter Uscochos nominis mulctatis, discessit; dum hiemis vehementissimæ iis in locis, perpetuo flantibus aquilonibus objectis, vis militaribus functionibus infesta esset.

1614

*Antonius
Civranus
Uscochorum
diriones dis-
rapi.*

M. D C. X V.

Belli suspiciones in Italia incrementis majoribus indies incendebantur; ab Hispanis atque Allobroge copiarum augebantur, externa auxilia adcersebantur; Senatus vero Antonium Landum, quem, ut diximus, in continentis legatione Priolo suffecerat, anni exitu in Galliam Cisalpinam proficisci iussit.

1615

*Venetis co-
pias auge.*

ferat.